

Weichbild magdeburski w układzie śląsko-małopolskim.**Wersja sandomierska**

Rękopis Rosyjskiej Biblioteki Narodowej w Sankt Petersburgu, sygn. Lat. Q II 157, tekst 2, k. 114vb–115rb

Odczyt: Maciej Mikuła

Artykuł 53

[53] De viro, qui vulneratus fuerit in facto manifesto.

Si vulneratus vir ad iudicium cum clamore decuctus fuerit in facto manifesto, et si ita debilis fuerit, quod per tutorem ipsum oportet querulari et prolocutorem per sententiam petat, extunc tali modo sua procedat querimonia: “Domine iudex, si me huic vulnerato dedistis pro advocato, extunc in sententia requiro, si per iusticiam insidias per aliquem pati debeam, quam iure teneri debeam aut sustinere, cum verbum suam aut causam propter iuris exigenciam teneo”. Extunc sibi diffinitur, quod non. Extunc petat sibi correccionem. Cum obtinuerit, tunc petat colloquium pro consilio, et cum habuerit colloquium pro consilio, tunc requirat, qualiter suam querelam inchoare debeat, et hoc per sententiam diffinitivam, ut sibi proficiat in suo iure. Extunc diffinitur sibi cum clamore. Tunc interrogetur sentencialiter, si requiri debeat ab ore ad os, a quo suam habeat lesionem. Tunc sibi diffinitur, quod debeat. Extunc [k. 115ra] {extunc} emittuntur duo scabini et cum ipsis preco et duo viri, qui iudicio astare consueverunt, qui ab ipso solo audierit, a quo sua recipit vel habuerit dampna, vel quis in eo pacis federa confregerit. Extunc requiritur sentencialiter, si interrogari debeant circa iuramentum prestitum ac ius civitatis, quid ab eo audierint. Tunc unus interrogetur ad dicendum, quid ab eo audierint. Audita responsiva, tunc in sententia requiratur, quod fecerit, cum sibi diffinitur, quod sic, et eciam secundus et tertius interrogetur. Extunc sibi diffinitur, quod sic profecerit. Extunc querelam incipiet: “Domine iudex, si placet attende audire”. Tunc hic conqueritur super unum, si et super ·N·, quod ipsi venerunt intra municipale, et in eo pacem infregerunt, et ipsum vulneraverunt aut suum affinem proximum trucidaverunt, si homicidium fuerit, et ipsum spoliaverunt corpore et rebus, et pro eo iudicium petit. Extunc illi ter vocantur, quando vocati per clamorem ter fuerint, tunc conqueratur ulterius et nomet malefactores, ut prius querulatum fuerit. Idem faciet tertia vice. Extunc inducie indicantur per noctem. Si tunc non comparent, describentur. [k. 115rb] Si autem comparent, duellum in eis acquiri potest.

[hasła: zranienie, sąd, wyrok, skarga, sędzia, sprawiedliwość, posiedzenie, ławnik, szkoda, przysięga, prawo, zabójstwo, kradzież, zranienie, otrucie, noc, pojedynek sądowy]